

De furibus et viris honestis

Berotam meam in cella domicilii nostri deponere soleo; sed cum nuper post excursionem longissimam per colles Turicum reveni, fessior quam ut birotam in cellam portare possem, quae tantum scalis arduis iniri poterat. Itaque birotam claustris clausam in aula domus reliqui, ubi iam multae birotae i inquilinorum erant depositae, proponens ut die proximo birotam in cellam portarem.

Sed cum mane aulam ingressa sum, birota mea nusquam inveniri poterat. Incredibile multitudinem birotarum perscrutans, id unum animadverti birotam meam ablatam esse animadverti. Ira incensa Davidem de furto birotae meae certiore feci, qui me severissime vituperavit: num birotam meam novam et magni pretii neminem ad furtum temptare me credidisse? Nisi birotam loco publico reliquissem, me furtum nunc non deploraturam fuisse. Consternata animo et conscientia morsa, me illa opprobria meruisse assensa sum.

Proximo die, cum in foro haud procul a domicilio nostro poculo vini frueremur, subito David se birotam meam invenisse exclamavit: et recte, re vera birota mea ante tabernam quandam deposita erat! Davidi me birotam post excursionem meam ibi reliquisse et oblitam esse suspicanti vehementer contra dixi: scilicet hoc nequaquam fieri potuisse! Beatissima birotam spectavi, quae nullo modo detrimentum cepisse videbatur.

Paulo post David cauponam reliquit ad alimenta emenda. Alios hospites oravi ut birotam meam custodirent, dum in cauponam intrarem ad pecuniam debitam solvendam. Cum paulo post birotam meam recuperare cupivi, illi hospites quibus birotam comiseram magna voce cum viro quodam disputare animadverti: solliciti mihi illum virum birotam auferre conatum esse narraverunt. Cachinnum sustuli: ille vir nemo alius erat atque David qui, alimentis emptis, ad cauponam revererat ad birotam in cellam portandam.